

T H R E N O D I A E

*In obitum & sepulturam lectissima, &
omni laudis genere cumulatisima
Matrona*

ANNAE COLERAE,

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI
VIRI, Dn. MARCI GERSTENBERGII
IC. CANCELLARII SAXONICI IN AVLA
Vinariensi, Domini in Drackendorff
& Schvverstedt

Uxoris suavissima;

*Quæ Vinariæ Calendis Octobris piè
placideque decessit:*

*Et Drackendorffij religiosè terris illata fuit
die 7. mensis eiusdem A. O. R. 1601.*

Scriptæ

Ab amicis & clientibus.



—S—S—S—S—S—

J E N Æ

Ex Chalcographéo Lithandreano.

Hist. Saxon. D.

475,50

ANNA COLLERA

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

PRINCIPIS PALATINI RHEGNI

ALBERTI CAROLI SACCHESSI IN AUSTRIA

SECRETARII UNIVERSITATIS

WURZBURGENSIS

PROFESSORIS

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

LIBRARIUS

PHILOSOPHIAE



ALBERTI CAROLI SACCHESSI

SECRETARII

UNIVERSITATIS

WURZBURGENSIS

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

Liferijs mater tibi GERSTENBER-
GIA factis,
Dum capit exuvias Dracia tum-
ba tuas. (seq; fletu,
Non Caricis opus est Musis, Megaren-
Non quos dat querulis præfica docta modis,
Terra tuam plangit mortem, tua funera proles
Deflet, & in lachrymas soluitur aula graues.
Singultat fractos gemebundo pectore planctus,
Mœstior illa tui pars viduata thori.
Marcet, & in socio marcescere funere vitam
Sentit, cui tecum viuere vita fuit.
Heu tantos vno cumulari funere luctus,
Et velut ex vno funera multa rogo.
Nempe istud meruit, meruit tua plurima virtus,
Et constans vera cum pietate fides.
Non indefletis igitur tibi nœnia metris
Personat, & planctu porta pagusq; gemit.
Sunt hæc iusta quidem tibi quæ soluuntur: Habendus
Attamen est luctus tristitiæq; modus.
Indeplorata pereat mala bestia morte:
Immodicos luctus impia fata ferant.
At quibus in D O M I N O lætæ spes altera vitæ
Est super: hos fatis est non gemuisse nimis.
Ergò tuum minuas soboles lectissima luctum,
Mœroriq; modum pone marite tuo,
Sat benè mater habet, cœloq; marita triumphat,
Turbantur luctu gaudia cœlicolis.

*Georgius Mylius D. Acad. lenensis
pro tempore Rector, ex pia sym-
pathia scripsit.*



PRincipis **AUGUSTI** moritur quâ regia coniux
ANNA die, Cymbrum sanguine nata Ducum:
Fatalis venit hæc duo post octennia tandem
Lux **ANNAE**, coniux quæ tua **MARCE** fuit:
MARCE decus patriæ, lux inclyta Saxonis aulae:
Quam calamo pariter consilioque regis,
Illa fidè sanctâ præstans, probitateque morum:
Illa cor, & virtus cordis amica tui:
Nunc dolor & lachrymæ sic fatis omnia ferri,
Lætaque mutari tristibus utque solent,
Corpore sed quamvis sit mortua, mente superstes
Vivit, & in cœlo gaudia sancta capit.
Terrea pars terræ celsit, pars cœlica cœlo:
Vtraque supremo glorificanda die.

*Nicolaus Reusnerus D.
Com. Pal. Cas.*



Mille graues curæ, mala mille, & mille dolores
Assiduo torquent verberare terrigenas:
Nec tamen in terris dolor est immanior, ac si
Diuisa à lacero portio corde cadat.
Scilicet est lacrymis maior dolor ille: loquaces
Erumpunt alij fletibus; ille stupet.
Hic quia nunc, **PATRONE**, dolor tua pectora rodit,
Et diris (eheu) lancinat illa modis:
Ecce dolor tuus ille, meus dolor: ecce Lycei
Tecum Salani pulpita mœsta gemunt.
Sed tu vince animo, quo vincis cuncta, dolorem:
Non venit hic casu: **NUMINI** istud opus.

Sæpè

Sæpe DEVS RERVVM à nobis solatia tollit,
Solamen VERBI ut possit habere locum.
Tempus erit, diuulsa idem quo iunget, & ingens
Sanabit vulnus, cunctaq; restituet:
Quo non alterni turbabunt gaudia luctus,
Quæ non aut sensus aut ratio ulla capit.
Hæc cum fixa tua sedeat fiducia mente,
Pectore magnanimo cuncta ferenda feres.
Tu caput hoc serua longos, SERVATOR, in annos,
Præsidium patriæ, præsidiumq; scholæ.


Zacharias Brendel Med. D. marens scripsit.

Ergone lanificæ tua præsecuere sorores (domûs
Stamina, ô ANNA tuæ spes columenque
Quæ superesse diu dignissima: nempe mariti
Tu studiosa tui, tu studiosa DEI.
Nescia sed nullâ misereri Parca movetur
Vel pietate viri, vel pietate DEI.
Sic tuus occubuit nuper pater, ille virorum
Optimus, & veræ religionis amans.
Sic tuus occubuit patruus, gravis ore, COLLEAVS,
Salanæ lumen, præsidiumque fori.
Scilicet hic nobis callis calcabitur olim:
Nec mora, quæ mortis tela moretur, erit.
Sed te felicem, Christo quæ fidere gnara
Vivis, & in coelis regna beata colis.
Hanc tu, MARCE, tuæ requiem gratare maritæ,
Magne vir, & patriæ dulce cor osque Ducum.
Tempus enim, quo vos sociabit in æthere Christus,
Quos mors in terrâ dissociavit, erit.

Elias Reusnerus Leorinus.

A 3

Ergo



Rgò comam & frontem atque oculos, atque
 oris & istam
 Pectoris, atque omnem corporis effigiem
GERSTENBERGIADES feralis obumbrat amictu
 Sindonis, & moestas format in exsequias?
 Nempe **COMAM**, quam Laurus amat, quam Phoebus
 Semper-florenti iussit honore sacram? (haberi
FRONTEM, tranquillâ morum gravitate serenam,
 Quâ Genius sedem gestit habere suam?
 Illos, inquam, **OCVLOS**, quos & Chariteia triga
 Et manibus Veneres expoliêre suis?
 Osque illud, quod nunc Arpinæ fulmine Suadæ
 Nunc etiam Andinæ verba vibrare solet?
PECTVS, quod templum est, in quo cata nomina Musæ,
 Et Themis & Pietas cum Probitate colunt?
 Illud & herôo subductum corpore filium
 Squallet, & atraris clauditur induvijs?
 Hei mihi, quàm subito contaminat omnia luctu
 Illa ex osse tuo, ex carne caro **ANNA** tua!
 Hæc ut ego lacrimis, elegorum & carmine flerem?
 Non facio, non sunt indolis ista meæ;
 Non **GERSTENBERGI**, cui plenos Flora quasillos
 Aggerat, & roseo perpluat imbri Venus.
 Vos partes implete meas, quâ parte potestis,
TU RHODOMANE elego, tu **GODOFRIDE** lyrâ.

*Fridericus Taubmanus, Fr.
 Poëta & Professor.*

Iste



STER Dei mos est; citius quos diligit aufert,
 Huc, ubi non ullo mixta labore quies.
Hic ANNAE quoque fata tuæ properavit: ut
 In cœlo fidei pignora, MARCUS, tuæ. (essent
 Redde Deo, quodcunque Dei est. Bona cui tua debes
 Omnia, cur non hac cedere parte velis?
 Adversis virtus, aurum velut igne, probatur;
 Qui quamvis sortem fert bene, victor abit.
 Ista tamen sint firma tibi solatia, junget
 Complexus iterum, fida marita tibi,
 Annis cum fatum, meritisque expleveris orbem,
 Quis tibi directam sternis ad astra viam.
 Interea Christus viduum sic temperet ævum,
 In patriæ ut vigeas commoda læta diu.

*Laurentius Rhodomanus,
 Profess. publicus.*



*S*ic in humanis pia fata rebus
 Pro suâ ludunt sapientiâ, ne
 Quid stet (ut nobis lubitum est) ab omni
 Parte beatum.
 Illa quæ causa, aut ea quæ libido,
 Inquiat vera pietatis expers;
 Hic quod angamur diuturniori
 Mole laborum?
 Num

Num malis gaudent hominum beata
Incola sedis, quod ubiq; sortem
Pridie concessam inimiciori

Fronte remiscent?

Absit, ut nostro pia fata luctu
Gaudeant, aut invideant secunda
Dona fortuna: Cupiunt mederi,
Visa nocere.

Quos enim plectit DEVS, & dolore
Mulctat insontes; animi paterni
Evidens prabet specimen, suiq;
Symbolum amoris.

Diligit quos, verberare duriori
Corrigit, natosq; probat ferendo;
Per vias artesq; malas eundi
Et secat ansam.

Deniq; è vivis penitus remotos
Inserit caelestibus, ac beatiss
Civibus, vitaq; serenioris
Munere donat.

O beatos munere perfruentes
Illius vita: furiosa quam non

Fra,

*Fra, non vesana libido, non in-
festat egestas.*

*Non dolor, non corporis aegritudo
Inter hanc turbare beatitatem,
Quil: sed aeternos ea pax quiesq;
Durat in annos.*

*ANNA quò, GERSTBERGIAE,
DECORA*

*Suaviter migravit, ab his caducis
Se abdicans nuper, Lachesi movente
Stamina, rebus.*

*Haud quidem fas est animum dolore
Affici nullo pietate motum:
Sed tamen solamine temperandus
EST TIBI luctus.*

*FLLA vitam finijt. At reliquit
Fine vitæ tristia, consequendo
Lata, qua cunctis memini reposita
Limine cæli.*

*Ergò concedas meliore vita
Perfrui, nullosq; pati dolores
Amplius, discrimina nec subire
Multa per horam.*

B

Te


*Te quod Ipsa orat, lacrymis deinceps
Pluribus parcas, animum tuenda
Et relictum dare non graveris
Palladis arci.*

*Atq; sic gaudens superis in oris
Nos secuturos aliquando eodem
Opperitur. Tu Bone CHRISTE, euntes
Subvehe tandem.*

Animo condolente
M. Godfridus Martini,
LL. Stud. F.


Regone funesto te ponit ô ANNA feretro,
Foeminei gregis ANNA decus, condetque se-
pulchro
Mors gemebunda citis nimis heu nimis acta quadrigis?
Nec tibi sollicitæ producere stamina vitæ
Tanta potest pietas, & amor sine felle Mariti,
Et sobolis, magnæque domus pia cura, labores
Exuperans omnes, & quicquid ubique molestum.
Nec Lachesin tantus potuit placare Maritus,
Quem cunctis placuisse bonis, placuisse tot annos
Principibus cum laude viris, Patriæque salutem
Consilijs reparasse suis, Pimplæides ultra
Occiduasque plagas, Nabathæaque regna loquuntur?
Eloquar an filicam? mors optima quæque rapaci
Falce metit, pedibusque trahit festina: Sed illi

Qui



Qui nil sunt aliud nisi vilia pondera terræ,
Et numerus, frugesque bonas consumere nati,
Ad feræ veniunt limen (res mira) senectæ. (ultrâ


Ergò mades lachrymis GERSTENBERGERE, nec
Dissimulare potes tantos vir summe dolores:
Cætera cum temnas mala victor, & omnia forti
Pectore sustineas: lachrymis rorantibus hument
Bis quatuor focij suavissima pignora lecti,
Sex gnata, gnatique duo, quibus una voluptas,
Maternæ, Patriæque sequi vestigia laudis.
At tibi quæ tantos minuent solamina luctus?
Quæ Panacea tuos poterit relevare dolores?
An, quod in ore ferunt omnes, fatale necessum?
An similes vitæ casus? an conscia recti
Mens animi, multusque dies, & pharmaca, si qua
Insuper aridulis Sophiæ nascuntur in hortis?
Scilicet hæc tantùm faciunt, ut clausa cicatrix
Pus tegat interius, saniemque recondat: at illa,
Quæ sacer Edeni medicamina suggerit hortus,
Ipsis vulneribus sine fraude medentur, & omni
Tabo membra levant. Sed quæ precor ista? benigni
Provida cura Dei, Patriæque stupendus amoris
Ardor, & æternæ spes non temeraria vitæ.
Non Deus est numen, quo dormitante, vel inter
Aethiopas cœnante vagus mortalia casus,
Et temerè malus error agit: Sed maxima quæque,
Et nutu quoque parva suo moderatur: eundem
Non piget abiectos capitis numerare capillos,
Et libræ subitos appendere passeris annos.
Illius arbitrio nobis datur omnibus usu
Vita, nec absque Dei iussu fugit actus in auras
Spiritus: hæc Superùm mandata capeßere fas est.



Quin mala si qua pios vexant, mala si qua fatigant,
In solitâ quanquam specie minitantur & umbra,
Iratamq; Dei Nemefin monstrare putantur:
Non mala sed bona sunt, si quis benè noverit uti.
Cum liquido manent è fonte perennis amoris,
Quo nos ob Gnati Pater ille supernus amorem
Prosequitur, recipit, fovet, auget, & æthere donat.
Nec pereunt, sed eunt Patriæ cœlestis ad oras,
Quos manibus Parcæ rapuisse videntur avaris.
Tendimus huc omnes, hæc ultima linea rerum,
Hæc longæ data meta viæ, portusque timendi
Naufragij, placidæ sedes hæc certa quietis.
Hic cœleste Patris summi politeuma resurget.
Ille locus raptam tibi Vir divine Maritam
Redder in Elysijs (serò tamen opto) viretis.

Sed quid desipio? quid mittere conor Athenas
Noctivagam ridendus avem? tibi scilicet ista
Omnis in æde tua paries denunciât. Vnum
Addo: velut potis es pulchrè res ferre secundas:
Sic fer & adversas, fortisque fugacis eodem
Blanditias, tristesque minas simul excipe vultu.

V Wolfgangus Heider, M. F.



Dicitur à morfu, perimat quòd singula morfu,
Mors, Mortis morfum cuncta per intereunt.
Non fatis: En miseros etiam mors mordet homillos!
Scilicet est nulli parcere iniqua potis.
Mortis & hunc morfum (dolor ah!) domus inclyta
Gerstenbergi adûm: sensit; & eriguit: (sensit
Occidit



Occidit hoc morfu, Vir consultissime juris,
Spes; amor, & vitæ pars quotacunque tuæ.
Occidit! Hei quoties fato veniente, petivit
Alloquium Gnati, colloquiumque Viri!
Detinet at Gnatum Marburgum, Dresda Maritum;
De me, ait, ad socium si modò fama volet!
Sed mora nulla: Calor vivus punctim ossa reliquit,
Strataq; per thalamum flaccida membra jacent.
ANNA DEO verè grata est: FVIT ANNA VIRO: Nam
Grata, sacrâ lingvâ dicitur ANNA, DEO,
Nestoris annosi vicisset sæcla: Caducæ
Si quid opes, quicquam si valuisset honos.
Si thermæ, alta Barypolis, aut Draconita fuisset
Si quid, vel medicas applicuisse manus.
Scilicet haud potuit quicquam deflectere mortem,
Mors non immensas anxia curat opes.

Querela Vidui relictæ.

AH canis, ah surdo: Multus dolor ossa tenet nunc;
Nunc lubet & querulâ voce ciere sonos,
Dulcia amara priùs fient, & mollia dura;
ANNAB quàm possim non meminisse meæ.
Non juvat antidotum Nepenthes amabile quondam
Non juvat: Et quid cor triste levare queat?
Vsq; adeò rerum facies transvertitur ipsa:
Vsq; adeò haud quicquam morte vacare potest!
Quin & Zodiaci legit invidus astra vicissim
Cynthius, oppositos versus ad Antipodas.
Hinc quasi præ luctu squallent detonsa virera;
Hinc folia arboribus frigore tacta cadunt.

Percitaq; hinc letho mare transvolat altivolans grus
Seque viæ focias cingere gaudet aves.
Cætera, quæ remanent, rea sunt animalcula mortis,
Aut hyemis durum tempore tempus agunt.
Nil iuvat! impulsant iterumq; iterumq; dolores
Cor; gliscit luctus hinc magis atque magis.
Nil iuvat! extremos modò si licuisset amaræ
Conjugis amplexus prendere, verba, manus.

*Prosopopœia Defunctæ ad Coniugem
relictum consolatoria.*

PONE tuos luctus, ô dilectissime Coniunx,
Et gemitus tristi pectore pone tuos.
Ne nimis arrodant acres adamata dolores
Pectora: Pectus eras pectoris ipse mei.
Corporis est etenim (mihi crede) quies; Animæ sed
Transitus, hic morsus mortis, & interitus;
Transitus iste mihi fuerat celer: Et celer omnis
In coelis patriam, qui benè transit, habet.
Quid verò superesse velis me? Corpore apud vos
Quæ mala sustinui tanta, tot, atque diu.
Non me sulphurea, stygiaq; voragine captam
Tartareus torvo detinet ore Lupus:
Nec miser, infœlix aetæ quo crimina vitæ
Italus expurgat, me tenet ille locus.
Sed CHRISTI meritum me vexit ad astra, meoq;
Dulciter hinc versor cum patre, cumq; tuo.
Hic datur & nostræ vultus agnoscere gentis:
Hic fruor aspectu, colloquioq; DEI;
Hic, ubi inexhausta fulgent dulcedine amoris
Cum PATRE, cum sancto FLAMINE noster AMOR.
Motte

Mitte tuos igitur lessus, Dilecte; I E H O V A M
Nec data per nostrum gaudia rumpe mihi.
Quod caput est: curâ Tu pignora nostra fideli
Suscipias: D O M I N O cætera linquo. V A L E.

M. Jonas Heuler,
Eysenbeim. Fr.

N Vne pia Musa veni pullâ circumdata veste,
Et cane lugubri carmina mœsta Chely.
Ah quantis hominum iactatur vita procellis,
Ah nos mortales quanta pericla manent.
Nil nobis firmi quicquam N A T V R A reliquit:
Hic nil æternum est: omnia prætereunt.
Aspice qui læto de pectore gaudia promit,
Mox sua de tristi pectore damna gemit.
Iam valido nobis pollent in corpore vires,
Mox ægri medicæ poscimus artis opem.
Ecce jacent nigræ sub legibus omnia mortis,
Cumq; venit, tacito clam venit illa pede.
Non prece, non armis, non ullo pellitur auro,
Et bona multa brevi claudere in orbe solet.
Mors fera nec pueris, senibus nec parcat anhelis,
Et pravos una falce bonosque metit,
Et licet astiterit sacris Epidaurius herbis,
Herbis haud tollet tristia fata necis.
Sic tua nunc Coniunx miserando funere M A R C E
Occidit, & tumulo corpus inane jacet.
Hæc ubi nata fuit, virtus, pietasque fidesque
Et pudor, & morum gratia nata fuit,

Sponte

Sponte sua charos affecit honore parentes,
Quos DEVS æternus iussit honore colli.
Et sine labe suæ traduxit tempora vitæ,
Casta lares fervans, casta cubile viri.
Hæc coluit verè vigilantè pectore CHRISTVM,
Illius & clausit fata suprema fide,
Sed quia sic visum est CHRISTO, summoque parenti,
Nos quoque tristitiam solvere corde decet.
Sit modus, & lacrymæ cessent, suspiria cessent,
Conficiens cesset corpus, & omnia dolor,
Ipsa etenim surrepta tenet nova gaudia vitæ,
At nos in duris turba relictæ sumus.
Cumq; ipsi post fata nihil præstare queamus,
Officium rapta ut sentiat illa pium,
Quæsumus ut placidè tumulo cubet, ultima donec
Purpureo sese tollat ab axe dies.
Illa dies, quando tumulo rediviva resurgēt,
Et lætæ ad cœli gaudia carpēt iter.
Tunc tibi se sistet rursus charissima, rursus &
Mutuus amplexus, mutuus ardor erit.
Interea casum, tibi quem fors obijcit, omnem
Constanti discas pectore ferre, VALB.

Jonas Gleiner, Schola
Vinar. Corrector.

ERSTBERGE, nostra fama
THVRINGIAE,
Imposita moles publica privataq;

Cui



Cui sarcinarum est duriorum;
Dum tibi planctisono dolore
Pectus replevit Mors fera, forfice
Vitæ fugacis stamina dissecans
TVA MARITAE, ceu bipenni
Laurus odora secatur olim:
Dolere sortem mène sinis tuam?
Certè sinis! nam si fieri pote,
A morte surreptam reduci
Quàm cuperes! reboante plectrò
Sicut profundis Eurydicen suam
Vates ab umbris Thracius excijt
Tenore demulcens canorò
Persephona piceata regna.
Heu sortem acerbam! Scilicet occidit
MATRONA, vero plena Dei metu,
Comiq; morum exculta laude,
Fæmineiq; nitela sexus.
Tàm casum amarũ nostra ACADÉMIA
Tremiscit, & gens dedita Apollini
Turbata prævelare tendit
Tempora funereâ cupressu.

C

Fer



Fervens ut *J L M V S* gurgite funebres
 Hausit querelas tristior, ocyus

Nymphas sorores lacrymarum
 Delicuisse rear madore.

Quid mi relictum est, quam gemitu queri
 Luctus amarus, oraq; frangere

Planctu, parentalemq; mutos
 Ad cineres geminare lessum?

Tu MARCE, luctu non-tolerabili

Parcas memento, rebus & in malis

Servare mentem sublevatam

Tristitia gravidante mole:

Vivasq; salvis seculum in alterum,

Longinquam & annorum ad seriem, quibus

Augescis, addat æviter nus

Innumeram Deus ævitatem.

Pix ουπαθείας & devotæ gratitudinis ergò f.

M. Iohannes VVeitz,


P. Laureatus Cæs.

Nasci




Nasci iterumque mori res est solennis, & hoc est
MARCE quod uxorem fata suprema tenent.
Nascimur ac morimur metam properando sub
Seriùs aut citiùs, mors sua quosq; trahit. (unam
Id liquidum reddunt exempla domestica MARCE,
Dum parat exequias ANNA Marita novas,
Dum parat exequias & lamentabile funus,
Luminibus proprijs uxor amabilior:
Quâ cum sex vixit & bis denos suaviter annos,
Iurgia nec lectum distinguere tuum.
Filiolos peperit binos septemque puellas
Laudatæ stirpis pignora chara tuæ.
Quàm pia, quàm prudens erat, & quàm pacis amatrix,
Quantâ direxit prosperitate domum.
Singula quid refero? nil quicquam cuncta juvabant,
Nil prudentia, nil officiosus amor.
Invida si nescis mors edomat omnia, nulli
Ad vitam Medicæ profuit artis opus,
Vivimus unâ omnes sub lege, sub hâc rapit omnes
Mortis avara manus, mortis amara manus.
Scilicet id CHRISTO placuit, PATRIQ; supremo,
Te quod magnanimo pectore ferre decet.
Hic quoscunque sibi de mundo elegit, eosdem
Avocat, & Superùm perpete sorte beat.
Pone ergò lachrymas Themidos pars maxima MARCE,
Nam toties gemitus elicuisse sat est.
Quin potiùs præsta obsequium hâc in sorte IHOVAB,
Iobi divini verba imitando viri:
*Quam dedit Omnipotens uxorem, hanc abstulit idem,
Nomina munifici sint benedicta DEI.*

M. Nicolaus Daubenrock, Crauthemenfis.



Q Vis jam, quis lachrymis resistat udis,
GERSTENBERGIA dum vale marito
 Dixit, cum generis piâque prole,
 Et quicquid tenet ille vastus orbis?
 Eheu, **A** N N A cadit, pia **A** N N A, verè
A N N A, humana, benigna, blanda, mitis,
 Eheu, foemineum decus labascit.
 Optatissima Castitas quiescit.
 Iucundissima Comitas senescit.
 Laudatissima Sanctitas fatiscit.
 En luctum **V** I D V I stupentis altum.
 En fructum fidei jugalis amplum.
 O quicumque vides precare mecum,
 Mœrori moderetur ut maritus,
 Solamenque mali fluat supernè,
 Cesset nec Patriæ ille fidus Atlas.
 Et quid? Nonne solum reliquit **A** N N A?
 Cœlos atque polum petivit **A** N N A?
 Nunc gaudens fruitur **B** E A T I T A T E,
 Sic rectè Pietas nitescit **A** N N A E.
 Sic verè Bonitas vigescit **A** N N A E.
 Sic isthïc Probitas virescit **A** N N A E.

*M. Christianus Voccius,
 Martisburgensis.*



S iste precor lacrymas Vir consultissime **M** A R C E
G E R S T B E R G I gemitus siste Patrone tuos.
 Quam dedit autor, eam **D** E V S abstulit ipse maritam,
 Non tamen irascens tela nociva parat.

Sed



Sed tantum fidei vult incrementa probare,
Mens quantum possit fidere moesta DEO,
Utque dari possit locus exoptatus amori
Divino, Conjux celsit amata VIRO,
Non nimium est obitus lugendus amabilis ANNAE,
Cui datur æterna pace, quiete frui.
Vult patris esse loco DOMINVS, vult damna levare,
Lenire & Vidui tristia fata tori.
Quique bonis largis iterum cumulavit Iobum,
Hic bona pro damno reddet & ipse DEVS.
Ergò sit hoc DOMINI benedictum nomen, & astra
Fata vehant secum prosperiora precor.

*Johannes Müller, Pastor Ecclesie
Neuendorfsis.*



DVm varias inter curas, multosque labores
Principibus servis, non sine laude, viris,
Consilijsque tuis patriam, Vir maxime, servas;
Intonat heu solitis mors cita, forsque minis,
Vxoremque tuam tibi funere mergit acerbo,
Et tepidum læto privat amore torum.
Non erat hac melior, nec erat prudentior ulla,
Quam Sala spumiferis, quam fluit Albis aquis.
Tantus amor Superum, dilectio tanta Mariti,
Et charæ sobolis, tantaque cura domus.
In lachrymas igitur quis nos vetet ire? dolorem
Vix tantum lachrymæ significare queunt,
Sed quæ ferre jubet numen cœleste, feremus,
Fundemusque pias semper ad astra preces.

Hos tibi qui luctus Deus attulit, allevet idem,
Atque suâ sanet vulnera facta manu.

Henricus Bechstadt.

Matronale decus tumulabitur ANNA, COLERÔ
I A N Ô nata virô justô, fidissima M A R C I
GERSTENBERGERI conjux, fati ô feritatem!


Hûc ô Pegasidum decus, hûc ô Phœbe Poetarum
Arbiter & præses, magnum referato dolorem
Imis pectoribus, mihi barbiton instrue cantu
Lugubri, & carmen mihi lugubre suggere, cunctis
Flebilibusque modis plectrum deprome, querellasque
Et lacrimas, gemitus, fletus & nœnia lœsus
Omnes luctivagos luctus referare memento.
Ipse ego præ gemitu vix lamentabile verbum
Inchoo, præ luctu vix finio lugubre verbum.

Matronale decus tumulabitur ANNA, COLERÔ
I A N Ô nata piô, conjux fidissima M A R C I
GERSTENBERGERI. quid nunc? vox faucibus hæret.

Vnde meos, ah! unde meos quæso ordine fletus
Incipiam? nunc unde meas ah unde querellas
Instituam? circum circa mihi cuncta videntur
In partem luctus mecum fletusque venire, (plangunt.
Immò etiam veniunt. Matrem hanc meritò omnia

En! modò quot proceres mœrent? quot funera
Sindonis induvijs sectantur Amazones albis? matris
Manibus exequias caris juvenesque senesque,
Et multæ matres, & nobilis ordo virorum,
Indocti, doctique simul, vulgusque clientum
Attrati faciunt omnes, loca quæstibus omnes

Omnia



Omnia complentes: A N N A M deflemus humandam
Omnis ait matronarum ô flos nobilis A N N A
Sic peris? occidis? occidis? ah peris! ah cadis A N N A,
O matronarum rosa nobilis A N N A peris sic?

Sala Thuringorum fluviorum rector amoenus,
Qui pede præpropere Ienenses limpidus oras
Alluit, & vini gratô potare racemos
Alluvio solitus, nunc turbidus excipit uvas,
Lugubremque sibi nunc sumens omnia vultum
Hunc obitum, hunc obitum lugubri murmure luget.

Quin etiam Salæ frater rapidissimus Ilmûs
Cœruleas largis auget nunc fletibus undas,
Et querulas querulas hœc miscet murmure voces:
Quid P A R C A E facitis nimium nimiumque feroces
Ah! quid? ah? ô quid stat mens tristia rumpere fila?
Parcite! parcite! parcite! parcite! parcite! Parcæ!
Reddite quæso mihi redivivam à funere matrem,
Ipse ego gratus ero, nec erunt ingrata minora
Flumina, sed semper vos multis dicere certum est.

Accedit Ienæus apex, utque audiit A N N A M
M A R C I G E R S T E N B E R G E R I sic morte peremptam
Occubuisse (piam ô matronam! vivere dignam
Nestoreos annos) pariter cum mente colorem
Perdidit, & pavidus sermone obmutuit amens,
Arboribusque comæ fugiunt mœrore, capillis
Stant orbæ fagus, Corylus, magnumque dolorem
Testantur nudæ quercus, & populus alta
Luctum & testantur maturis pampinus uvis
Multa cadens. Terræ squalor satis arguit ægrum
Ob gemitus animum.

Carmen vicinâ residens Philomela sub umbrâ
Mœrentes inter volucres quoque flebile mœsta

Conci-



Concinit, & turtur respondens, omnia moerent
Quin nunc omnis ager nunc arbor ingemit omnis,
Nunc moerent sylva, nunc est tristissimus annus,
Immò quæ tellus, quæ pontus, quæ educat aër,
Interitum lugent matronæ nobilis. Eheu
Foeminei cecidit generis decus. Usque adeò res
Solemnia nasci denasci. Cogimur omnes
Ire mori. Ergò homines humana feramus oportet.
Non medicare sibi medicus quit. Tollere mortem
Nemo potest, mortem multi protollere possunt.

Quare cum manes quoq; GERSTENBERGIVS heros
Vxoris, quanquam non versibus, attamen usque
Cordifluis lacrumis, & justis fletibus ornet,
Atque mori cuperet, si quæ, quæ viveret, olim
Cum se demeruisse viri cognosceret hujus
Edoctam linguam, quid flebimus amplius ANNAM
Flere decet, sed flere decet pietatis ad usum.
Et sine lege suos agmen flet inane IEHOVAE,
Nos medium tenuisse decet, qui nomine CHRISTI
Gaudentes alimur Ipe vitæ divitis almâ;
Quin potiùs campos sanctos sedesque beatas
ANNÆ gratemur. Gratemur quattuor ANNÆ
Versibus, adponent alij majora Poëtæ.

SALVE connubiò MARCI quondam usa sacratio
GERSTENBERGERI Matrum flos nobilis omnium
Aeternumque VALE, salve sub marmoris urnâ
In cœloque Vale, æternùm SALVETO, VALETO

Johannes Keil, Butstadiensis.

FINIS.

H. Jans. D. 475, 50.

Datum de